

qui a praedicta auctoritate per beneficium emancipationis liberati sunt iuxta formas lege praescriptas. Minores in Iure Romano et in Iure Canonico, alii sunt *puberes*, et alii *impuberes*. Puberes dicuntur pueri, qui ad aetatem 14 et puellae 12 annorum pervenerunt. Caeteri impuberes appellantur. Impuberes orbati patre, et sub auctoritate tutoris constituti, nomine pupillorum veniunt. Ex eodem Iure Rom. tutor datur pupillis ad omnia, curator vero puberibus ad honorum administrationem tantum. His positis.

#### I. Ex iure Romano.

763. — 1º Filius familias impubes etiam si cum consensu patris et de bonis castrenibus contrahat, non obligatur; et contrario si filius puber contrahat de castrenibus et quasi castrenibus, obligatur, modo de alienandis immobilibus, aut mobilibus pretiosis non agatur; at de profectiis et adventitiis minime disponere potest, quia regulariter eorum administrationem non habet.

2º *Pupillus*, seu impubes, patre orbatus, auctoritate tutoris, minor vero cum consensu curatoris valide contrahunt, nisi agatur de immobilibus aut mobilibus pretiosis, pro quibus decretum iudicis requiritur (3).

#### II. Ex iure Gallico.

764. — 1º Minor non emancipatus contrahere *firmiter* nequit absque assistentia tutoris. Contractus tamen, si taliter fiat, validus erit *per se*, sed rescindibilis, nisi minori faveat. Unde si ex huiusmodi contractu sequatur laesio, minor ad beneficium restitutionis admittitur; secus, si nulla laesio subsecuta fuerit. Hinc axioma: *Minor restituitur, non ut minor, sed tamquam laesus.*

2º Minor emancipatus habilis est ad faciendos omnes administrationis actus a lege determinatos. Pro reliquis autem assistentia curatoris requiritur (\*).

Restitutio locum non habet, 1º si minor dolo, non vero si mera affirmatione, alteri persuaserit, se esse maiorem; 2º si laesio proveniat a casu fortuito, et non praeviso; 3º si obligatio oriatur ex delicto, vel quasi delicto; 4º si commercium aut artem exercens, pro rebus commercii aut

(3) Attamen *pupillus* potest in suum commodum alium sibi obligare (v. gr. acceptando donationem) etiam sine tutoris auctoritate, ut constat ex §. *Pupillus, Instit. De inutil. stipul.* — Lugo *De Iust. disp.* 22. n. 283.

(\*) Ex iure Italico minor emancipatus potest ex se solo omnes actus facere, qui non excedunt simplicem administrationem. Pro ceteris requiritur tum curatoris consensus tum auctoritas consilii familiae. Artt. 317. 319.

artis suea contraxerit; 5º in aliis quibusdam casibus a lege exceptis (art. 450..., 476..., 1304. et seq.) (\*).

765. **Resolves.** — 1º Minor tuta conscientia uti potest beneficio legis, secluso casu malae fidei, cum lex in eius favorem lata sit. Non potest tamen rescissionem postulare, ut eximatur a restitutione pecuniae, quam mutuo accepit et dilapidavit, licet nullum lucrum inde reportaverit; tenetur enim adimplere obligationem, quam certe novit, dum pecuniam postulabat et recipiebat. Aliunde ipsius culpae tribui debet, si nullum inde emolumen percepit. — Pothier (*Traité des obligations* n. 52.), cui consonant Toullier *cum aliis iurisperitis*, et Gousset (n. 747.).

2º Qui contraxit cum minore, contractui stare potest, donec nullitas a *minore*, vel ab eius parte aut tute invocetur. Sufficit tamen postulatio privata, ut ad rescissionem teneatur, quando laesio omnino aperta est.

3º Minor solus tum per seipsum, tum per alios, a quibus representetur, rescissionem contractus postulare potest; unde ii, qui cum ipso contraxerunt, eius incapacitatem opponere nequeunt (art. 1125.).

4º Minor non potest amplius actum in minoritate peractum impugnare, quando illum iam maior factus ratum habuit; quia plene habilis erat ad contrahendum, quando actum ratum habuit (art. 1311.) (\*\*). — V. *Casus*, n. 770. et seq.

#### §. II. De uxoribus.

##### I. Ex iure communi.

766. — 1º Uxor non potest contrahere aut disponere de dote eiusque fructibus, nec de bonis familiae, marito praesente et valente haec bona administrare, quando hic rationabiliter invitus sit. Secus, si maritus sit absens, amens vel fatuus, vel si expresse aut tacite consentiat, vel si non sit rationabiliter invitus.

2º Uxor pro libitu contrahere vel disponere potest, etiam invito marito, de bonis paraphernalibus, idest de bonis quae praeter dotem attulit, et sibi reservavit. — *Recole dicta de dominio uxorum*, n. 548. et seq. — Vide Billuart, Reuter, etc.

##### II. Ex iure Gallico.

767. — 1º Uxor generatim contrahere non potest sine speciali consensu mariti, et in huius defectu sine iudicis auctoritate, ut dictum est

(\*) Consentit plus minus ius Italicum. C. C. artt. 1305. seqq. In C. Comm. minores emancipiati sive mares sive feminae, commercium legitime exercentes, consentur maiores ac possunt bona sua etiam immobilia alienare artt. 9. seqq.

(\*\*) Negat ius italicum sanari ratiabilitate: ne actus, qui nulli fuerint absolute ob defectum formalitatum art. 1310.

in *Tract. de Iustitia*, ibid. — (C. C. 217. 219.). Ideoque actus, quos sine tali auctoritate posuit, rescindi debent, si ipsamet uxor, vel eius maritus, aut ipsorum heredes, non vero alii, nullitatem opponant.

Dixi 1º *absque consensu speciali mariti*; quia non sufficit consensus generalis in contractu matrimonii datus; sed requiritur, ut sit specialis pro singulis uxoris actibus, et quidem scripto datus.

Dixi 2º *vel absque auctoritate iudicis*; quia uxor potest ad iudicem recurrere, si maritus consentire nolit, aut etiam non possit, v. gr. si absit, si sit interdictus, etc.

2º Uxor tamen contrahere potest absque speciali consensu viri, 1º quando vacat commercio publico et separato, quia tunc maritus consentire censetur, excepta immobilium alienatione; 2º quando comparat ea, quae necessaria sunt ad familiae sustentationem.

3º Uxor iuxta leges generales pro libitu disponere potest de bonis suis per testamentum absque ulla mariti interventione. Ratio est, quia parvi refert mariti, quatenus mulieris domini, quaenam futura sit uxor's dispositio testamentaria, cum testamentum effectum suum non sortiatur, nisi post matrimonii dissolutionem (\*).

768. — QUAER. *An nullitas, quae afficit contractus uxorum, sit pleni iuris, seu ipso facto, vel tantum post iudicis sententiam rim habeat?*

Resp. Nullitas non est habenda, ut *pleni iuris*, cum requiratur iudicis sententia ad eam declarandam. Nec est absoluta, sed relativa tantum, seu pronuntiari tantum potest in favorem quarundam personarum, quae solae illam invocare possunt, nempe in favorem uxor's, mariti, eiusque filiorum.

769. Resolves ex Iure Gallico. — 1º Si uxor contrahat sine consensu mariti cum laesione iurium vel bonorum eiusdem, v. gr. respectu bonorum communitatis, vel reddituum a viro percipiendorum, irritus omnino est contractus. Sed uxor malae fidei, licet in eo casu neque maritum neque bona communitatis obligare possit, tenetur tamen damnum alteri illatum reparare. — Carrière, n. 203, et alii communiter contra alios, qui dicunt alterum contrahentem sibi imputare debere, quod cum illa contraxerit, et sic deceptus fuerit.

2º Nullitas contractus uxor's a viro invocari potest in conscientia, etiamsi laesionem proprie dictam non passus fuerit, quia nullitas praecipue in eius gratiam sancta est.

(\*) Perinde est in iure italico C. C. artt. 134.-137. quod tamen uxor commerium agenti permittit etiam alienatio-

nem bonorum suorum (non dotalium) immobilium C. Comm. art. 14. §. 2.

3º Nullitatem contractus etiam uxor ipsa invocare potest, ut videtur, quamvis lex praecise ipsi favere non intendat; quia non videtur sufficiens motivum eam a beneficio legis excludendi, modo alteram partem non deceperit. — Carrière, ibid. contra alios. Sed reddere debet id omne, in quo ditior evaserit, et res restitui debent in eumdem statum ac erant ante contractum, modo ipsa laesa et decepta non fuerit. Saepius autem ratione doli a beneficio legis excludenda est.

4º Uxor, quae ab alio pecuniam mutuam petit pro marito, se obligans ad eam restituendam in mariti defectu, restituere tenetur, si vir restitutio facere non possit, aut nolit: fuit enim causa absolute determinans contractus. Ergo obligationem libere susceptam adimplere debet, praesertim viro defuncto; secus malae fidei evaderet. A fortiori uxor restituere debet pecuniam a se in propriam utilitatem, inscio marito, mutuatam. Sic enim clamat naturalis aequitas. — V. *Casus*, n. 773. et seq.

### §. III. De civiliter mortuis.

770. — Mortui civiliter dicuntur, qui ad mortem, ad triremes perpetuas, vel ad deportationem damnati fuerint. Hi autem sunt praecipui mortis civilis effectus: 1º amittere proprietatem bonorum, quae ad heredes transeunt, quin valeat testamentum, si quod fecerint; 2º non posse accipere hereditatem aut donationes, praeter id quod ad eorum sustentationem destinatur; 3º non posse donare bona, quae acquisierint, sive inter vivos sive testamento. — Haec videntur generatim effectum habere in foro conscientiae. Attamen iuxta communem interpretationem non prohibentur civiliter mortui ab accipiendois donationibus manualibus quibuslibet. Inhabiles enim sunt ad ea dumtaxat, quae lege determinantur, unde plerosque contractus valide ineunt, et agendi commercii non sunt incapaces. — Ita *Ius. Rom.* (\*).

### §. IV. De interdictis et prodigiis.

771. — Interdicti sunt illi, qui iudicis sententia incapaces declarantur actus civiles exercendi ob statum imbecillitatis aut dementiae, aut furoris. Designatur autem illis aliquis ut tutor, omnesque eorum actus iure sunt iritti; non tamen absolute nulli aestimandi sunt ante sententiam iudicis. Cessat interdictio, cessante causa; cuius cessatio declarari debet a iudice, ut interdictus possit iterum civiliter agere. Prodigii iuridice de-

(\*) In iure italico poena ergastuli (quae est maxima) infert privationem patriae potestatis, auctoritatis maritalis et facultatis testandi atque hac poena affecti censur civiliter interdicti.

Eadem (excepta facultatis testandi privatione) sequuntur poenam reclusionis, quae annos quinque excedat. C. P. arti. 32. 33.

nuntiati inhabiles sunt ad certos ineundos contractus lege determinatos, absque assistentia consiliarii à iudice constituti.

Nullitas porro contractuum initiorum ab interdictis et prodigis opponi quidem ab ipsis potest aut ab agentibus illorum causam, non vero ab iis, qui cum illis contraxerunt, sicut de minoribus dictum est.

ARTICULUS III. — DE CONSENSU REQUISITO.

1<sup>o</sup> Eius dotes; 2<sup>o</sup> vitia opposita.

§. I. De dotibus legitimi consensus.

772. — Consensus esse debet externus, internus, mutuus, liber et deliberatus.

1<sup>o</sup> *Externus*, id est manifestatus, quia comparti manifestari debet; nequit autem alteri parti patefieri, nisi aliquo signo visibili exterius prodeat.

2<sup>o</sup> *Internus*, quia obligatio contractus oritur a sola contrahentium voluntate. — *Ita communiter*.

3<sup>o</sup> *Mutuus*, quia contractus est conventio duorum vel plurium; hinc si sit onerosus, requiritur ex utraque parte cessio et acceptatio. Si gratuitus sit, requiritur cessio ex una parte et acceptatio ex altera.

4<sup>o</sup> *Liber et deliberatus*, ita ut contrahens non solum sit sui compos, sed etiam agat cum ea deliberatione, quae ad peccatum grave requiritur; secus enim voluntas esset imperfecta, atque adeo imperfectus actus, qui perfectam obligationem parere non posset.

773. Quaesita. — QUAER. 1<sup>o</sup> An valeat contractus initius (6) sine animo se obligandi, vel sine animo illum implendi?

Resp. ad 1<sup>um</sup> *Probabilius* non valet, quia conditio apposita est contraria substantiae contractus (7). S. Lig. n. 710. — *Alii dicunt valere*

(6) Intellige contractum initium cum animo contrahendi, quamvis sine animo se obligandi etc. Nam secus quaestio redibit de fictae contrahente; de qua dein A. in prima Resolutione tractat.

(7) Quidam (apud Lugo disp. 22. n. 38.) affirmant, quia quisquis vult causam, vult et effectum, et qui dat formam, vult consequentia ad formam. Alii vero negant, tum quia in contractibus obligatio nisi ex propria voluntate oriri non potest; tum quia (quod etiam A. tangit) conditio, quae contraria sit substantiae, contractum de-

struit: quo spectat cap. *Si conditiones fin. De conditionibus appositis*.

Aptior tamen erit quaestionis solutio, si opportunis utaris distinctionibus. Namque aut promissio et animus te non obligandi versantur circa idem omnino obiectum, eodemque sub respectu seu sensu; et tunc promissio est prorsus illusoria; quippe promissio est fidei obligatio, et nihilominus ex hypothesi non vis hanc obligationem. Si vero promissio et animus te non obligandi referantur ad obiectum, quod multiplicem habet considerationem;

contractum, prout praevalet, aut non praevalet volitus contractus. — Lacroix.

Resp. ad 2<sup>um</sup> Valet contractus. Ratio est, quia potest consistere voluntas non implendi cum voluntate se obligandi. — S. Lig. et alii communiter.

QUAER. 2<sup>o</sup> An consensus utriusque partis simul elici debet?

Resp. Neg., quia consensus unius semel datus, nec revocatus, moraliter perseverat, ita ut accedente alterius consensu, statim perficiatur contractus.

774. Resolves. — 1<sup>o</sup> Qui fictae in contractum consentit, tenetur in conscientiae foro partem deceptam indemnem facere, et, si aliud non suppetat medium reparandi iniuriam, consensum internum praebere et contractui stare. — *Hom. apost. tract. 10. n. 93.*

Quod si contractus fictae initius executioni fuerit mandatus, nullum dominium reipsa translatum est. Unde ratione rei acceptae, deceptor habendus est tanquam possessor bonae fidei, deceptor autem tanquam possessor malae fidei.

2<sup>o</sup> Si offeram tibi domum 100. aureis venalem, et tu acceptes, contractus perficitur, non quando interne consentis, sed quando tua acceptatio mihi per aliquod signum externe prodit. Consensus autem meus est tibi sufficienter intimatus per hoc, quod tibi domum meam pro pretio statuto offeram.

3<sup>o</sup> Si tecum contrahas per procuratorem, contractus perficitur, quando tuus procurator acceptat, licet tu needum acceptaveris, quia acceptatio tui procuratoris moraliter tua est.

4<sup>o</sup> Taciturnitas regulariter reputatur pro consensu, si materia sit favorabilis tacenti. Hinc regula iuris: *Qui tacet, consentire videtur.*

tunc rursus distinguendum est cum De Lugo (disp. 22. n. 39.). Inspicere enim oportet, utra e duabus voluntatibus contrariis praevalere dicenda sit; praevalere autem debet, quae magis efficax est et absoluta, seu quae habet modum volendi magis universalem et cum reflexione formalis vel virtuali supra alteram. Ergo si magis efficax et absoluta sit voluntas promittendi et contrahendi, quam voluntas te non obligandi, orientur obligatio, etiamsi ex errore putes, e contractu aut promissione obligationem non oriri, atque adeo non velis te obligare. Ita qui absolute vult professionem religiosam, ignorans alioquin quodpiam onus illi adnexum. Si vero voluntas te non obligandi magis efficax est et absoluta, quam voluntas contrahendi aut promittendi, obligatio non sequetur. Vere enim non adest voluntas promissionis efficax et absoluta, sed solum conditio-nata, si nempe ex ea obligatio illa non oriatur. Quod si fingas, aequa efficacem esse utramque voluntatem, actus esset nullus, utpote effectum intendens impossibilem. Et cum promittendi voluntatem non habeas, nisi id careat obligatione, nulla reipsa est voluntas promittendi absoluta, sed solum chimaerica.

3º Si Paulus dicat coram Ioanne: Do 100. aureos Petro; et si Ioannes iniussus Petro id referat, et hic dicat: *Accepto*; Paulus non censetur obligatus; quia intimatio promissionis non fuit facta Petro de mandato Pauli, qui caeteroquin per relata verba nihil aliud ostendit nisi merum dandi propositum. — V. *Casus*, n. 776.

§. II. *De vitiis consensui oppositis.*

Praecipua sunt error, dolus, vis et metus, quae ad errorem et metum reducuntur (8).

PUNCTUM I. — *De errore.*

775. — Error in contractibus versari potest 1º circa substantiam rei, ut si emas cuprum pro auro; 2º circa naturam seu speciem contractus, v. gr. si sumas locationem pro venditione; 3º circa qualitatem seu accidentia rei, puta si equus sit tardus, dum reputatur velox; 4º circa personam, v. gr. si quis daret Petro, volens dare Paulo; 5º circa motivum, v. gr. si quid dares Caio ob paupertatem vel pietatem, dum dives est vel impius.

Error tamen circa qualitatem, licet *accidentalem*, potest esse *causa* contractus.

776. — **Principia.** — I. Omnis error circa rei *substantiam* aut contractus *naturam*, contractum nullum reddit. Ratio est, quia tunc nullus est consensus, qui rem omnino diversam respicit. — S. Lig. n. 714.

II. Error circa *solam qualitatem* non invalidat *per se* contractum, saltem si, cognito errore, nihilominus contractus fuisse initus. Consensus

(8) Compendii studio prorsus debetur, quod A. cuncta ista ad *errorem ac metum* reducenda dixerit, et propterea sic ea tangat, ut plura, eaque gravis momenti praetermittat. Et quidem quod vim ad metum ita reducat, ut de illa prorsus sileat, nemo improbaverit. *Nunc enim*, ut docet S. Thomas (4. dist. 29. q. 1. art. 1.), agitur de *consensu interiori*, in quem non cadit coactio seu vis, quae a metu distinguitur: et ideo quantum ad propositum pertinet, idem est coactio quod metus. At non idem esse potest iudicium, cum ita dolus reducitur ad errorem, ut quae ad primum illum specialius spectant,

omitti queant. Ut enim advertit Lugo (disp. 22. n. 68.) valde interest, utrum contrahens decipiatur ab altero contrahente, vel a tertio quopiam sine culpa alterius contrahentis, vel etiam a se ipso, qui erronee putaverit, rem meliorem utilioreme esse, et ideo illam emat, vel pluris emat, alias non empturus aut certe non tanti empturus: et rursus utrum, quando ab alio decipiatur, id fiat cum huius culpa vel sine culpa; quod notandum, quia licet utraque deceptio minuat voluntarium in altero contrahente, non tamen eandem utraque obligationem in decipiente parit.

enim prorsus voluntarius circa obiectum principale conventionis habetur. — Si autem, cognito errore, initus non fuisse contractus. *controversitur*, ut statim dicemus (\*).

777. **Quaesita.** — QUAER. 1º *An error circa qualitatem dans causam contractui irritet contractum sive onerosum, sive gratuitum?*

Resp. 1º Neg. *probabilis* quoad contractus *onerosos*, quia talis error non impedit cognitionem, neque *consensum* quoad rei substantiam. Secus vero vix ullus contractus validus foret, quod in commercii humani subversionem cederet. Excipe, si qualitas velut *conditio*, *sine qua non*, expresse intendatur, quia tunc in rei substantiam transit.

Resp. 2º Quoad contractus *gratuitos affirm. probabilis*. Ratio, quia tales contractus ex natura sua plenum voluntarium et omnimodam spontaneitatem requirunt; atqui haec plane defuit, quando causa ad donandum movens deesse supponitur. — *Ita communiter contra nonnullos*, qui cum caeteroquin admittant, hosce contractus ad nutum donatoris sic decepti esse rescindibiles, negant esse per se irritos: quoad proxim vix altera ab altera sententia differt (9). — Vid. S. Alph. n. 714., 715.; *Hom. apost.* n. 124., 125.

(\*) Ex iure italicico error *iuris* producit nullitatem contractus solummodo si ipse est eius causa unica aut principalis. Error *facti* non producit nullitatem contractus nisi cum cadit super substantiam rei, quae est obiectum contractus C. C. artt. 1109. 1110.

(9) Verumtamen inter duas sententias, quarum altera quosdam contractus *per se irritos*, altera solum *rescindibiles* dicit, magni momenti discrimen adesse potest quoad effectus. Ita v. gr. si sermo sit de sponsalibus, iuxta sententiarum istarum diversitatem definitur, num ex contractu inductum, nec ne, impedimentum publicae honestatis fuerit.

Eundem porro sententiarum dissensum, eandemque inter illas discriminis indolem cernere est penes DD. quoad onerosos quoque contractus, quibus tamen causam *dolus alterutrius contrahentis* dederit; *alterutrius*, inquam, *contrahentis*; nam si dolus adhibetur a quodam tertio, nec doli particeps sit altera contrahentium pars, validus citra controversiam habetur contractus, licet decepto detur actio ad-

versus tertium illum, qui dolum adhibuit (Vid. Molina Tr. 2. disp. 352. n. 7.).

Quando itaque dolus, dans causam contractui, ab altera contrahentium parte adhibetur, aut si adhibetur a tertio, eius tamen altera pars sit particeps, convenient Doctores, ut validos sustinendos esse contractus *stricti iuris*; at quoad contractus *bonae fidei* inter se dissentiant. Et Molina quidem (disp. cit. n. 2.) cum plerisque vetustioribus eos irritos esse contendit; recentiores vero (V. Lugo disp. 22. n. 70.) communius ut validos habuerunt, licet ad arbitrium decepti resciendi postea debeant. Inter dissidentes autem veluti sequester intercessit Card. De Lugo, eos quodammodo conciliaturus. *Utraque sententia*, inquit (disp. 22. n. 73), *conciliari fortasse potest, si dicamus, eiusmodi contractus de iure naturae atque etiam de iure positivo esse quidem partim validos, partim irritos, atque omnino irritandos ad libitum eius, qui dolum passus est*. Quam quidem viam egregius theologus ideo maxime inivit, ut reddi ratio posset, cur in libera

QUAER. 2º An error circa personam contractum invalidet?

Resp. 1º Neg. generatim loquendo quoad contractus onerosos, quia in his error huiusmodi est mere *accidentalis*; et parvi sane interest tum

potestate decepti sit stare vel non stare contractui, decipiens vero pro arbitrio decepti stare contractui teneatur.

Et has quidem DD. opiniones satis sit innuisse; neque enim earum vim rationesque expendi Notae brevitas sinit. Praetermittendas tamen non censemus conclusiones, quae ad proxim faciunt, eo vel magis quod in eas sententiae omnes convenient, utecumque in reddenda earum ratione pro suis quaque principiis non-nihil forte discrepant. Haec itaque habe ex Molina (l. c. n. 16):

*Aut quis decipitur ignorantie id altero contrahente: et tunc si nulla inaequalitas in contractu oriatur, quia nulla facta fuit transgressio limitum iusti valoris, contractus in utroque foro est validus ac firmus, in quo nullam mutationem fieri necesse est. Si vero inaequalitas oriatur, quia vel acceptum fuit ultra pretium iustum rigorosum, vel datum est infra pium ac infimum: tunc reduci in foro conscientiae debet ad aequalitatem solum usque ad limites iusti, atque etiam in (foro) exteriori, si transgressio fuit intra aut ultra dimidium iusti pretii.*

*Si autem deceptio sit, sciente quidem altero contrahente, sed sine dolo, nec sublatente quae manifestare tenebatur, tunc eadem prorsus dicenda sunt, quae diximus proxime, quando ignorante altero contrahente quis fuit deceptus.*

*Quod si mendacia ac dolus intervenire, distinguendum est. Quoniam vel eis est inductus alius ad contrahendum, aut ad augendum pretium seu recompensationem, vel non, quia fidem non adhibuit, sciens id esse consuetudinem celebrantium similes contractus, aut, esto illa non adhibe-*

*rentur, similiter contraxisset: et tunc idem prorsus dicendum est, quod in duobus superioribus eventibus, eo quod dolus adhibitus neque fuerit causa contractus, neque augendi recompensationem aut minuendi de illa. Atque hinc saepe mercatores mentientes ac iuramento affirmantes, vel rem plus valere, vel carius eam emisse, multaque alia confingentes, tam ut vendant aut carius vendant, quam ut emant aut vilius emant, excusabuntur tum ab onere rescindendi eiusmodi contractus, tum etiam a restitutione partis eius, quod ita acceperunt.*

*Quando mendacis aut alii dolis inductus quis fuit ad contrahendum, aut ad augendum pretium seu recompensationem, dicitur dolus intervenire in contractu in sensu, in quo hactenus in hac disputatione sumus locuti. Quod si tunc dolus causam dedit contractus, invalidus est in foro conscientiae si ita velit deceptus, atque etiam in foro exteriori, si contractus fuit bonae fidei, esto nulla ex ipso orta sit inaequalitas.*

*Observa tamen, quando nulla est inaequalitas, regulariter non esse culpam letalem eum contractum non rescindere, idve decepto non offerre; reque non integra, ut contractus possit dissolvi, regulariter non consurgere obligationem aliquid restituendi sub culpa letali. Atque hinc a letali culpa et a restituendi onere sub culpa letali excusabuntur, qui mentientes, vinum esse plurium annorum, aut esse unius loci, illud vendiderunt ei, qui si sciret, non esse tot annorum, aut non esse eius loci, illud omnino non emisset, aut non tanto pretio, quando vinum in se, computatis omni-*

vendoris, cuinam rem vendat, dummodo congruum pretium accipiat, tum emptoris, a quoniam emat, si res ipsi conveniat. Exciendus est contractus matrimonii, in quo consensus ipsammet afficit personam, quae fit simul et pars contrahens et ipsius contractus obiectum.

Resp. 2º Affirm., plerumque quoad contractus *gratuitos*, quia in his persona donatarii a donatore specialiter intendi solet. Spectanda sunt tamen rerum adiuncta, e quibus benefactoris voluntas dignosci melius potest.

778. — QUAER. 3º An contractum invalidet error circa motivum?

Resp. 1º Affirm., si error cadat in motivum *finale*: v. gr. si dares eleemosynam Titio, quia illum pauperem reputas, cum dives sit; tuus enim consensus quoad ipsam rei substantiam deficit.

Resp. 2º Neg., si error cadat solum in motivum *impellens*, v. gr. si eleemosynam dares Petro pauperi, quem valde probum credis, cum sit minus probus; hic error enim mere *accidentalis* est. — S. Lig. n. 737.; Hom. apost. n. 137.

779. Resolves. — 1º Si sacerdos sub nocte emat pro se pannum putans esse nigri coloris, dum viridis aut violacei est, non valet contractus, si expresse declaravit, se nigri coloris pannum velle; licet enim color in se sit mera qualitas, in hoc casu transit in substantiam, proindeque error evadit substantialis.

2º Si tibi volenti emere vinum Burdigalense, Burgundinum offeratur, valet contractus *per se*, non obstante errore vel dolo, quia error non est substantialis. Sed iustitia laeditur accidentaliter, si Burdigalense carius sit: ideoque vendor restitutio obnoxius erit. Si vero utriusque vini

bus circumstantiis, erat aequa bonum et aequalis valoris. Itemque, quando non tanti illud emisset, pretiique incrementum non esset tantum, quantum ad letalem culpam requiritur.

Semper tamen, re *integra*, obligatio tunc est sub culpa veniali rescindendi contractum, idve offerendi decepto, aut illi restituendi, quod minus erat daturus, saltem quando ab alio emisset minori pretio, nisi ita ab hoc fuisset deceptus, esto intra limites pretii iusti rigorosi emerit ab hoc: quando enim a nullo alio emisset melius vinum aut viliori pretio, tunc licet iniuria fuerit illi facta ita illi vendendo, quia tamen nullum damnum etiam lucri cessantis inde fuisset ei sequutum, nulla consergeret restituendi obligatio.

Dixi, regulariter non intervenire culpam letalem non rescindendo similes contractus, aut non restituendo: quoniam si res esset magni valoris, et praesertim si aequa bonam minori pretio alioquin ille erat empturus, ita ut decrementum hoc in pretio ad culpam sufficeret letalem, utique culpa esset letalis et iniire eum contractum interveniente dolo, et re *integra* illum non rescindere, et denique re iam non integra omittere restitutioem damni ex eo contractu illi sic decepto subsequi.